



Ex libris
Professoris Amandi Hoecker,
Benedictin, Oberaltacens.

H. Germ. vol. 9471

C. Bayer. 112

2

CORONA

ANNI MILLESIMI,

QUEM A PRIMA FUNDATIONE

MONASTERIUM

WESSOFONTANUM,

JUBILÆI VERO, SEU QUINQUAGESIMI,

QUEM A PRIMA S. RELIGIONIS PROFESSIONE

Reverendissimus D. BEDA

EFJUSDEM COENOBII ABBAS CELEBRABAT,

SEU

EMINENTISSIMI CARDINALIS

ANGELI MARIÆ QUIRINI,

S. R. E. BIBLIOTHECARI, BRIXIÆ EPISCOPI

AD REVERENDISSIMUM PATREM

D. BEDAM

ABBATEM WESSOFONTANUM

ET CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

PRÆSIDEM GENERALEM

EPISTOLA.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Verè hanc Epistolam Coronæ nomine appellamus, quæ Historiæ Monasterii nostri jam pœne ad finem perductæ subito supervenit, nec meritis nobis, nec sperantibus. Præcesserant pridem copiosa à Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. Pont. Maximo Indulgentiæ, non solis nobis, sed omnibus iis clementissimè concessæ, qui nobiscum DEO pro tam diuturna cœnobii conservatione gratias agerent. Subsequitur Purpurati Patris alia, qua S. Patriarchæ Benedicti pretiosa Reliquia cum ejusdem argentea Statua nobis munificentissimè donata fortissimè vindicatur: ut gemino Authore, Sanctissimo illo, hoc Eminentissimo dicere possimus: Benedices, imò benedixisti, Coronæ anni tui. Ps. 46. Addidimus Epistola breves & paucas notas, quas nemini obtrudimus, cum, quantus sit Quirinus, ex Epistola pateat: subtrahere tamen Lectori nolimus, ut gratae voluntati, si non officio pro modulo nostro satisfaciamus.



REVERENDISSIMO PATRI
D. BEDÆ ABBATI WESSOFONIANO
ET CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ
PRÆSIDI GENERALI

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Episc. Brixien.



Quo flagrantius optabam hoc ipso Septembri mense, qui modo excurrit, Wessofontanum Cœnobium vestrum revifere, ut præfens adessem lacris celebritatibus ibidem duplici ex causa peragendis, causa nempe tui, Reverendissime Pater, Jubilæi, anni scilicet quinquagesimi ab emissa Professione Monastica, (a) & causa anni millesimi a fundatione ejusdem Cœnobii, (b) eo gravius fero hodiernam tempestatem obstare, ne votis vestris, & una simul desiderio meo satisfaciam. Concurrunt siquidem vestræ illæ celebritates eo tempore, quo mihi minime fas est Brixiam meam deserere ob Natalitia

Ædium Collegii mei Ecclesiastici (c) binis hisce autumnalibus mensibus celebranda, quæque profecto fausto omine carere censerem, quoties Clericalis tyrocinii in eo Collegio instituendi primum experimentum absque me spectatore & moderatore caperetur. Quo animo, qua cura, quibus sumptibus Ædes illas construxerim, intellexistis Vos omnes ex Pastoralibus literis, quarum exemplar nuperrime huc transmisi; quare non dubito veniam faciles mihi duros, si sollicitè caveam, ne ea Natalitia, me peregre abeunte, inauspicata contingant. (d)

II. Hæc ipsa causa efficiet, ne interesse valeam Solemniis, quæ cultu ultra consuetudinem insigni in honorem Conceptionis Immaculatæ Mariæ Virginis a Confraternitate eo titulo insignita proximis mensibus recoli istuc debere mihi scripsit pius & doctus Cœnobita vester Pater Veremundus ejusdem Confraternitatis Præses, magnopere meurgens, ne iisdem, quoniam Protectoris nomen gero, (e) mea deforet præsentia. Deerit hæc autem, ut dixi, quandoquidem statim ac autumnus decesserit, verear, oportet, minas hibernas, quæ certe Italo homini quindena jam lustra numeranti (f) Germanicum iter minime suaderent. Accipite vero quam rationem excogitaverim damnum, quod ex mea ista absentia celebritatum vestrarum splendori obventurum putetis, compensandi. Eam ipsam inibo rationem, quæ menti meæ ante binos annos infedit,

infedit,



inſedit, dum publicis pro circumferendo ſacro Corpore Divi Caroli Borromæi ſupplicationibus indictis a Mediolanenſi Purpurato Metropolita, cujus ego Suffraganeus, minime interfui. Celebre illud Jurisconſultorum axioma, *Qui non habet in ære luat in corpore*, ita tunc inverti, ut multam mihi metipſi impoſuerim luendi in ære quoniam corpore abfueram. Ornando itaque S. Caroli Sacello ſicuti conſari curavi octo argentea Signa virtutes illas referentia, quarum odore, Viſitatoris ille Apoſtolici in Diœceſi Brixiana munere fungens, eandem replevit; haud diſſimili ratione Weſſofontano Templo, quod ſuperioribus menſibus orraſi Statua Divi Benedicti Monachorum Patriarchæ, (g) atque ab annis tribus Lampade ad aram Mariæ Virginis Immaculatæ ſuspendenda, (h) novum donarium adjiciam, videlicet Statuam Sanctæ Scholaſticæ, ejuſdem Patriarchæ Sororis, eamque, ſua & ipſam inſtructam Reliquia, æque ac illa S. Benedicti, curabo ad Monasterium veſtrum deduci, ante diem decimum proximi Februarii, in quem Divæ illius Sanctimonialium parentis Feſtum incurrit. (i)

III. Mentio autem, quam modo feci, Statuæ S. Benedicti, occaſionem mihi præbet literis hiſce meis vobis explicandi, quod valde me piguit prætermiſiſſe in ſuperioribus, quæ una cum eadem Statua Weſſofontanum iter confecerunt. (k) Recitato ſiquidem ibidem luculento teſtimonio antiqui Chroniſtæ Le-

nenfis Abbatiaë, Brixiano in agro sitaë, quamque egomet fiduciario jure possideo, de Brachio S. Benedicti Brixiam delato ab annis jam mille e Casinensi Monasterio, satis habui eo testimonio demonstrare, nullam de Brachio illo, quod hinc quoque temporibus inter insigniores Brixiaë Reliquias asservatur, oriri posse controversiam. At vix exaratis a me literis illis animadverti per Lenense illud testimonium æque certe definiri controversiam de sacro Corpore S. Benedicti inter Italos, & Gallos Monachos acerrime a sesquisæculo agitatum, & nostra hac etiam ætate exardescentem; definiri, inquam, ita ut victoria Casinatibus meis in posterum absque dubio sit adjudicanda. Quomodo autem rem conficiam, æquis quæso auribus accipite.

IV. Eruditissimus Mabillonius Gallorum suorum causam strenue, quod fieri posset, agere satagit primo in Dissertatione edita in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. II P. I. deinde in Annalib. Benedictin. atque in postremis hinc refringere conatur argumenta, quæ Casinatum causæ patroni, ac præsertim Angelus de Nuce Abbas primum Casinensis, postea Archiep. Rossanensis ad eandem tuendam in medium attulerant. Profert primo loco idem Mabillonius eorundem Annal. T. I. auctoritatem Adrevaldi Monachi Floriacensis, quem vixisse tradit Sæc. IX. deinde Anonymi cujusdam ex Codice Monasterii Ratisponensis, quem affirmat conscriptum fuisse *ante*
annos

annos nongentos, Kalendariorum præterea non modo Gallicanorum, sed etiam Germanicorum, imo Italicorum, quæ oculis suis se perspexisse testatur. At ineluctabile argumentum se desumere arbitratur ex Historia Pauli Warnefridi Monachi Casinensis, qui asserit „Francos e Cenomannicorum, & Aurelianensium partibus Casinum, ubi tunc vasta solitudo existeret, (1) simul convenisse, ejusdemque venerabilis Patris, pariterque ejus venerandæ germanæ Scholasticæ ossa abstulisse, & in patriam suam asportasse, ubi duo Monasteria, unum in S. Benedicti, alterum in Sanctæ Scholasticæ honorem constructa sunt.„ Hisce verbis ex Paulo Diacono a Mabillonio recitatis, subdit hic postea, iisdem Paulum hæc addere, *Os illud venerabile, & omni nectare suavius, & oculos semper cælestia contuentes, cætera quoque membra quamvis resoluta in cineres penes Casinates remansisse.* Hæc scripsisse Paulum in ipso Monte Casino paullo post mortem Carolomanni Principis, qui jussu Abbatis sui Casinensis missus ad Pippinum Regem, germanum suum, Corpus sacrum beati Benedicti e Gallis revehere, sed frustra, tentavit, idem Mabillonius affirmat.

V. Adversus hæc omnia pro aris focusque arma sumunt Casinates, atque contendunt I. narrationi Translationis Corporum S. S. Benedicti & Scholasticæ in Gallias ab Adrevaldo, seu Adalberto Floriacensi Monacho sæc. IX. confarcinatæ omnes subesse falsi-

falsitatis characteres. II. Adrevaldi narrationem minime illi cohærere, quam ex Codice Ratisponensi exscripsit Mabillonius, Anonymumque illum potius Gallum credendum esse quam Germanum. III. Nimis gloriose excidisse Mabillonio in *vetustissimis quibusque Martyrologiis*, se consignatam reperisse hanc Translationem, quin animadverteret quæcumque de ea legantur in illis Bedæ, Flori, Wandelberti, Usuardi, nihil Casinatum causæ officere. IV. Quod spectat ad Pauli Diaconi testimonium, hoc esse referendum ad vulgi opinionem, quam retulerit quidem Paulus, non vero sit sequutus, quippe qui post narratam sacrorum Corporum subreptionem subdit, certum esse os, oculos, ac cætera S. Patriarchæ membra apud Casinates remansisse defluxa quidem & corrupta, scilicet ad invicem dissoluta, & divisa, ita tamen ut *illibata* dici possent, ut legitur in hujus Historiæ editione ex officina Plantiniana an. 1595. Paulum non in Casinensi monte Historiam Langobardorum, sed extra Italiam, & dum in Caroli Magni aula versaretur, conscripsisse probabilius videri, eandemque Historiam correxisse postea Casini, additis quæ oportuit, ac inter ista S. Patris exuvias vindicando; Paulum denique pluribus locis suæ Historiæ, aliorumque Operum fassum fuisse Corpus S. Benedicti suo tempore Casini requiescere, & præsertim in Homilia quadam, quæ in pluribus Casinensis Bibliothecæ Codicibus reperitur. V. Ad firmandam Casinatum possessionem iisdem testium
cum

cum domesticorum, tum externorum magnam nubem suppetere. VI. Suppetere pariter innumera propemodum in Archivo Casinensi vel Autographa, vel exscripta monumenta. VII. Fallo affirmare Mabillonium Petrum Diaconum in Sermone suo de inventione Corporis S. Benedicti, nugas tantum narrafse, & Romanorum Pontificum seu facta seu Bullas falso retulisse. VIII. Baronium Bullas a Casinatibus prolatas rejecisse, Floriacenses autem probasse ea tantum de causa, quod Casinatum Autographa nunquam viderit. (m)

VI. Hæc vero omnia, quæ eruditissime & copiosissime, ac maxime subtiliter in medium adducta fuisse reperio in Apologia addita Tomo VI. Annal. Benedict. Lucæ an. MDCCXLV. authore Petro Maria Justiniano Monacho Casinate, deinde Episcopo primum Sagonensi, postea Albintimiliensi, etsi validissimum præsidium ministrent Casinatum causæ, præ illis tamen ad eam ipsam rem triumphare Lenensis mei Chronographi testimonium illico demonstro. Ita illud se habet: *Non longe post introitum Regni (Desiderii) & inchoationem hujus Cænobii (Lenensis) Domino cooperante, & prænominato excellentissimo Rege translatum est a civitate Beneventum de Casino castro quædam Corporis partem Beatissimi atque Excellentissimi Confessoris Benedicti Abbatis, & ab urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis & Martialis, & in eodem sacrosanctum conditum est Cænobio.*

B Bre-

Brevissimum Chronicon illud, quod primus in lucem eduxit Muratorius præmissis Monito, quo ejusdem venerandam antiquitatem commendat, initium sumit ab anno DLXVIII, progrediturque usque ad an. DCCCLXXXIII.

VII. Ex eo certe testimonio luce meridiana clarius elucet, vel centum annis post adeo jactatam a Mabillonio surreptionem Corporis S. Benedicti ita indubiam fidem apud Casinates viguisse sacrum illum thesaurum æque ac antea in eorum Monasterio requiescere, ut ejus partem, scilicet integrum Brachium ad Lenenses fratres suos dono transmiserint, idque eo ipso tempore quo Floriacenses commentum sunt, ceu superioris fabulæ laciniam, tentatum fuisse omnibus modis relationem ejusdem sacri Corporis e Monasterio Floriacensi ad Casinense. Itaque certo certius evincitur ex vulgitantum rumore, non ex propria sententia Paulum Diaconum eandem surreptionem retulisse in Historia Langobardorum, & quidem ex rumore per Gallias sparso (n) quin ad Casinatum aures ullo pacto pervenerit; roburque inde sumunt plura argumenta, quibus in Apologia superius laudata ostenditur, gratis a Mabillonio, absque ullo scilicet fundamento scribi, Pauli Historiam compositam ab eo fuisse in Italia, imo in Monasterio ipso Casinensi. *Procumbit* itaque Gallorum murus Achilles, nam pro Achille suo jactat Mabillonius eundem Paulum, quem tamen constat a Casinatum parti-

parti-

partibus totum stetit, præsertim postquam non quidem studio, sed occasione data Lenensis Chronographus, Paulo Diacono suppar, luculentissime expressisse censendus est præsentiam Corporis S. Benedicti in Cœnobio Casinensi, hujus liberalitati erga Lenense perhibito testimonio. Quoniam vero integrum ejusdem Patriarchæ Brachium Brixiam adhuc possidere, certa prorsus res est, & æque certa exuvias Vitalis, & Martialis Martyrum ex urbe Roma ad Cœnobium Lenense translatas in eodem requiescere, nihil profecto deest, cur fides summa a quolibet seu æquo judice, seu honesto censore Chronistæ Lenensi adhibeatur.

VIII. Ex hac ipsa summa fide consequitur, numquam fore ut Casinates acquiescant Muratorii sententiæ. Hic Tomo II. Script. Rer. Italic. in lucem edens Epitomen Chronicorum Casinensium *Auctore, ut fertur, Anastasio Bibliothecario*, atque in eo Opusculo narrari comperiens, S. Benedicti ossa in Gallias asportata fuisse, eaque rursus Casinum delata, adductus est ad existimandum in celeberrimam illius Translationis quæstionem frustra tot vocibus effundi tum Casinates, tum Gallos, quandoquidem ambo in concordiam redigi facile possent admissa Anastasii illius narratione, de qua subdit, *Suspensio quidem gradu procedendum est Eruditis in amplectenda Anastasiana hac narratione, sed ab eadem rigide, atque omnino exhibilanda abstinendum fortassis est, quum Pau-*

li Diaconi auctoritas re consentire cum hoc Scriptore videatur. Clariss. Muratorius, cui debemus, ut supra dixi, Chronici Lenensis editionem, utique si animadvertisset ad testimonium a me ex eodem recitatum, mecum confidenter affirmasset, nullam de furto sacri Corporis oriri amplius posse suspicionem. Etsi autem Anastasii illius Opusculum ex Bibliotheca Italica, scilicet S. Georgii Majoris Venetiarum, prodierit, & quantumvis verosimile sit Casinatem Monachum ejusdem authorem haberi posse, neutrum hoc Chronici nostri auctoritatem immi-
nuit.

IX. Pauli Diaconi auctoritatem re consentire cum Anastasio illo, nemo Muratorio concesserit post expensam verborum Pauli interpretationem ab Apologista Casinate, (o) aliisque ante ipsum solide allegatam. Addam, perperam interpretatum fuisse ipsum Muratorium verba Mabillonii ad annum 795. *Annal. Benedict. de miraculo lurdi & muti ad sacratissimum Corpus S. Benedicti*, ita scribentis: *Cum vero Paulus dicit* (in quadam ex suis Homiliis) *hunc sanatum fuisse ad sacratissimum Corpus S. Benedicti*, id sine dubio intelligit de ejus tumulto, in quo beatissimi Patris Cineres, post ossum translationem in Gallias factam, superfuisse tradit in historia sua. Ea verba Muratorius intelligit, perinde ac si Mabillonius per ea affirmasset, Paulum in ea Hom. absque dubio loquutum fuisse de Corpore S. Benedicti Floriaci posito,
quare



quare Mabillonium carpens hæc subdit: *At Paulus suos Casinates ibi alloquitur, & ipsos ejusdem miraculi testes appellat, neque Casinates cum Floriacensibus versabantur.* Haud opus erat Mabillonium moneri a Muratorio, Paulum in ea Homilia alloquutum fuisse Casinates, siquidem ipsemet Pauli verbis sua hæc inserit, *ait Casinates suos alloquens, & præterea idem manifeste indicat tumulum Casinatem, dum dicit S. Benedicti cineres, post ossium translationem in Gallias factam, ibidem superfuisse tradi a Paulo in Historia sua.* Mabillonii verba non eam notam, quam illis inurit Muratorius, sed aliam multo justius promeruissent, quod scilicet ille pro Corpore interpretetur *Cineres*, etsi Paulus quinquies vel sexies Corpus dixerit S. Benedicti Casini extare.

X. Aliam in Mabillonium censuram contorquendam suppeditat Pauli locus ab illo in Annal. recitatus, nam præterquam quod ibidem de suo addidit *in Casinensium consolationem* scriptum a Paulo fuisse, Cineres S. Benedicti Casini remansisse, Pauli verba ista suppressit, **SED CERTUM EST NOBIS**, quæ verba *εμφατικῶς* prolata sat clare ostendunt, Paulum illa subdidisse non in Casinensium tantum consolationem, sed ad detrahendam falsis rumoribus fidem, ac proinde ostendunt, ipsum Casini jam Monachum, ibique Historiam suam relegendem correxisse quæ de ea Translatione, inter Gallos dum degeret, inaudiverat. Redeo ad testimonium Lenense,

nense, & iterum dico, ipsum a veneranda antiquitatis Chronista sincera quadam simplicitate, non arte ulla, aut fucō, sed e re nata prolatum, vel ex se uno Casinatum possessionem certo certius adstruere, ideoque vanam ostendere Mabillonii jaētantiam, dum scribit, *Unum habent Casinenses Leonem Marsicanum Chronici sui authorem, ejusque continuatorem Petrum Diaconum, quibus Adrevaldus, Adelerius, & Aimoinus Monachi Floriacenses etate, ac proinde auctoritate superiores sunt.* Si modo in vivis degeret, diceret bona fide Mabillonius (placet mihi ita vaticinari) *Unum Casinates habent Chronistam Lenensem, unum habent Brachium S. Benedicti Casino Brixiam sub initia regni Desiderii delatum, atque utrumque triumphale signum istud, malo fato nostro, manu praeferens hac tempestate Brixianus Antistes, idemque Lenensis Abbas nos adigit, ut herbam victori porrigamus.*

XI. Contracta in hunc modum a me, in fasciculum scilicet exiguum, amplissima legete, quæ justo volumini materiam praebuisset, fatebor, Reverendissime Pater, laborem, quo modo defunctus sum in eo breviario texendo, animum meum acrius desiderio incendisse, quam antea, *Fontes Monasterii tui adeundi, quippe ex iis pro certo habeo fore ut mihi ad plenius illustrandam controversiam, de qua differui, opulenta sacrae eruditionis copia manaret.* Quanta enim Tibi cura sit Cœnobitas tuos in bonarum disciplinarum studiis versari, oculis ipse

le



se meis perspexi, librique ab iisdem compositi, & præ cæteris doctum & laboriosum ædepol Concordantiarum Biblicarum Opus (p) nuperrime evulgatum universo litterario orbi declaravit. Haustu itaque laticis vestri sitim meam sedassem; (q) idque non ea solum iudicio vestro subjiciens, quæ mea Epistola ista complectitur, sed insuper una vobiscum ad examen revocans paris generis argumenta, quæ, dum Germaniam vestram pererrarem, quosdam veluti aculeos in mente mea reliquerunt.

XII. Translationem a Jo. Corporis S. Dionysii Areopagitæ e Gallia in Bavariam ad Civitatem Ratisbonam, & Translationem Corporis S. Marci Evangelistæ Venetiis ad Monasterium Augiæ-Divitis prope Constantiam. Ratisbonam adii, hospitemque me benigne excepit in Cœnobio S. Emmemrami Jo. Baptista Abbas & S. R. I. Princeps, isque omnigena qua pollet doctrina inter exquisitas dapes, quibus ingenium meum discendi cupidum recreavit, legendos mihi obtulit optimæ notæ Codices manuscriptos, ac plurima effatus est, unde de veritate Translationis S. Dionysii edocerer, eaque omnia paulo post, biennio scilicet a meo in Italiam reditu, in publicam lucem eduxit libro conscripto, de quo ipsemet modeste admodum scripsit in Præfatione, *Se nullam certitudinem de veritate Translationis S. Dionysii Lectori obtrudere velle, nec posse, quam eam, quæ ex allatis in Dissertatione sua testimoniis, & dictis elici potest.*

XIII.

XIII. De Translatione vero omnino fabulosa S. Marci Evangelistæ animum meum aperuisse memini, dum Helveticum iter confeci, San-Gallensibus Monachis, qui me ex eorum Monasterio ad locum *Rosacio* dictum, subditumque San-Gallensi ditioni comiter deduxerunt. Statim enim ac Rosacium attigi, & in ædes Monasticas descendi, memini, inquam, San-Gallensem Abbatem & Principem, Monachosque ejus socios Augiam-Divitem in lacu Brigantino sitam, sexque tantum leucis Constantia distantem, mihi digito monstrasse, inspectantique semel ac iterum dixisse, *Ea est*

*Augia Dives agris, hortis, temploque, lacuque,
Fructibus hæc Dives, Dives abundat aquis.*

Profecto si regionem illam repeterem, edoctus jam eorum, quæ ad refutandam Augiensem fabulam, scilicet de Corpore S. Marci Venetiis furtim subducto & ad Monasterium illud devedto, eruditissime digessit Flaminius Cornelius Senator Venetus in priori parte Decadis XIII. Operis sui præclarissimi de antiquis Venetarum Ecclesiarum Monumentis, causam haberem, cur ei Disticho versiculum istum subjungerem,

Ditior at multo fabellis Augia Dives.

Ut verum fatear, visus est mihi Vir ille doctissimus ceu novus Hercules in præfligandis præsidio Criticæ artis

artis



artis omnifariam instructus, difflandisque ineptiis, atque quisquiliis, unde Augienses Cœnobitæ fabellam, quam dixi, ornare consueverunt, adeo ut eidem Scriptori aptari valeat Ovidianum illud de Hercule,

Septimus Augia stabulum labor egerit undis.

Haud mollius tractasse me olim in Gallia Floriacenses Monachos, etsi apud ipsos hospitarer, fidem facit narratio, quam insero Commentariorum de rebus meis Vol. I.

XIV. At de tribus hisce, aliisque hujuscemodi Translationibus quo caute & tute sentiamus, eundem nobis est *advidentem*, consulenda nimirum sunt sapientissima BENEDICTI XIV. de Beatific. & Canoniz. volumina, nam in IV. tractantur luculentissime quæstiones ad Corpora, & Reliquias Sanctorum pertinentes. Gavilus autem sum quam maxime, dum ejusdem lib. IV. Part. II. cap. XXV. affirmare deprehendi SANCTISSIMUM AUTHOREM se Angelo de Nuce suffragari admittenti, *aliquam particulam* (Corporum S. S. Benedicti, & Scholasticæ) *potuisse in Gallias esse translataam, & hinc invaluisse opinionem prædictæ Translationis.* Quare subdit PONTIFEX, *Nec res profecto aliter se habere potest*, citatque, ut id probet, binas Bullas Zachariæ Papæ, & Alexandri II. quaternasque Visitationes, & inspectiones eorundem Corporum, scilicet annis 1071. 1486. 1545. 1659.

XV. De omnibus hisce si datum fuisset jucundos inter nos seri sermones prope lene caput aquæ Wessfontanæ, nullus tamen mihi jucundior, quam vobis ob

C

ocu-

oculos ponere illarum ichnographiam Aedium, quarum Natalem diem pia Brixia in præsens peragit, ut initio hujus Epistolæ dixi, eaque occasione in mentem vobis revocare, quod in literis prælo impressis die 23. Novemb. an MDCCXLVIII. professus sum, nimirum Collegium Ecclesiasticum a Serenissimo Episcopo, Lantgravio Darmstadiensi, in Oppido Pfaffenhusano Augustanæ vestræ Diœcesis excitatum, & de quo, dum ad partes istas divertii, multus mihi fuit sermo cum religiosissimo Antistite illo (r) cogitationem animo meo injecisse de pari consilio in Brixiana hac urbe capiendo.

XVI. Hæc ipsa commemoratio exempli quod mihi itineranti vestra præbuit Bavaria, efficiet proclivius a vobis veniam dari necessitati, quæ iter meum ad vestrum istud Monasterium hac tempestate remoratur. (s) Ea autem venia impetrata certos vos esse jubeo, me celebritatibus vestris, dum corpore abero, præsentem animo ita ad futurum, ut plures alios millesimos annos Monasterio vestro apprecari non desinam, Jubilæum autem alterum ejusdem meritissimo Præsuli viginti quinque saltem annis definitum, cujusmodi est illud, quod ante paucos menses absolvi ego a meo ad Brixianam Diœcesim, regendam adventu. (t) Fortunet Deus, quæ pro vobis nuncupo, vota, mihi que misericors indulgeat, non quidem *dierum longitudinem* sed ut nemo de me dicere valeat, video ædes Clericales, video Templâ, video Sanctimonialium claustra, video pauperum tuguria, video Bibliothecas, Episcopum autem non video. (u) Itaque, ne id jure a quoquam affirmetur,



metur, vos omnes enixe rogo ut mei memineritis, quoties de more funditis ad Deum preces *pro fratribus nostris absentibus. Amen.*

Brixia die XV. Septembris an. MDCCLIII.

XVII. P. S. Lætus admodum ego Brixiam meam bina invicta documenta ministrasse ad propugnandam Casinatam meorum causam, de qua in hisce literis, cumulando eidem gaudio novum hic afferam Brixiaë decus, quo pariter ea ipsa causa mirifice juvatur. Casinensis Monasterii post Langobardicam everisionem instauratio Brixiano civi, Abbati nimirum Petronaci debetur, isque eo adveniens Gregorii Sum. Pont. jussu adeo non invenit locum illum latibula, habitationemque ferarum evasisse, quod tamen Floriacenses, & ex iis Mabillonius pro re certa venditant, ut contra ibidem monachos aliquot ad sacra pignora Benedicti, & Scholasticæ custodienda residere repererit. Quomodo res acciderit, narrat Baronius Annal. T. VIII. an. DCLXIV. sociatque ei narrationi animadversiones quasdam, ex quibus patet, eundem nullo modo Floriacensibus, ut jactat Mabillonius, patrocinatedum fuisse, quum potius Casinatibus faverit, nam inter cætera hæc habet: *Certe quidem quando Petronax Brixianus ad instaurandum locum pervexit, aliquos ibi residere invenit, pro ut idem Paulus Diaconus docet. Vel si velimus nimia oscitantia stertisse omnes, ut absque cultu veneranda lipsana develiquerint, quomodo transferre ea Romam ad Lateranense Cænobium in mentem potuit non venisse, tot præterlabentibus annis? Quod cum eos non fecisse constet, plane bene cultum tunc, & custoditum fuisse locum illum, aliquando restituendum, argumento est. Rursum vero, si innotuit Gallis, & iis magnopere exultantibus, Corpus Sancti Benedicti Floriacum esse translatum, cur non Floriacum, sed Casinum a Francorum principibus, & aliis innumeris undique confluentibus post hæc frequentes fuerunt pietatis ergo peregrinationes susceptæ?*

XVIII. Postrema tantum earundem Baronii animadversionum verba textum Pauli Diaconi allegantia, ac una simul testantia ejus Scriptoris auctoritatem apud se plurimum valere, Floriacensium causæ quoquo modo inservirent; at nebulis quotquot hæctenus textus ille exhalavit, tenuandis, imo omnino discutiendis satis jam esse debet Brachium S. Benedicti Lenensibus dono datum a Casinatibus permultos annos post decantatam adeo Gallicanam Translationem; nam donum illud, cujus certam fidem facit *venerandæ Antiquitatis Chronista*, nullum dubitationi locum relinquit, commentitiam habendam esse eam Translationem, ac proinde Casinense Monasterium jugiter possedisse



non *Cineres* tantum sacrorum Pignorum, sed ossa etiam, quorum unum Lenensibus fratribus suis fuerint impertiti.

XIX. Tandem mihi met ipsi gratulabor, quod curæ in hac Epistola susceptæ pro adstruenda ipsa Casinatum meorum possessione, veluti proluserim ego ante annos triginta, dum nimirum typis excudendam curavi Vitam S. Benedicti. In ea enim operæ pretium putavi anno 1723. publicare Angeli de Nuce Dissertationem de Benedicti exuviis Casini quiescentibus, quippe ipsa a typographis Parisiensibus in Editione Chronici Casinensis suppressa fuerat, & in quibusdam dumtaxat exemplaribus Italicis vulgata legebatur; & præterea Hymnum vulgavi ex Veteri Breviario Monasterii S. Zenonis Veronæ, quo Hymno fides fit unum tumulum servare Fratrem & Sororem, scilicet Benedictum, & Scholasticam. Utramque meam curam illam comiter laudat doctissimus Apologista Petrus Maria Justinianus; isque insuper me accenset Viris eruditis Peregrino, Phæbonio, Henschenio, Bollandio, Mabillonio, Montfauconio, quorum omnium oculis, ait, Archivi Casinensis authentica diplomata patuisse.

XX. Meum illud Opus hoc titulum præfert: *VITA Latino Græca S. P. BENEDICTI. Textus Latinus Authore Gregorio M. cum duobus Codd. MSS. Sublacensibus nunc primum comparatur, exhibitis etiam variantibus veterum Editionum Lectionibus. Versio Græca Authore Zacharia Papa, eadem ratione cum Cod. MS. Abbatia Florentinae confertur. Altera Pars Veterum Carmina, Sermones, & Homilias de S. P. BENEDICTO complectitur. Postrema variorum Notas in eandem Vitam, contractas, & ad examen revocatas in medium affert. Venetiis MDCCXXIII.* Subditur loco Epistolæ Nuncupatoriæ, seu Præfationis Elogium istud: *DIVO BENEDICTO Literarium Sublacensis secessus Fructum eidem in sacra ejus Crypta Voto addictum, Pietatis, gratique animi erga sanctissimum Parentem, atque Magistrum Monumentum dicat & offert Discipulorum ac Filiorum infimus.*

XXI. Hæc ego scribebam quintodecimo Encœniorum Collegii mei Ecclesiastici die, quibus dum assiduus intersum, præter modum gestio, oculis meis cernens nihil amplius a me posse desiderari, ut finem, quem mihi in Ædibus illis construendis ad formandos Cleri mei mores proposui, me undique assequutum fuisse cognoscam, seu quoad magnum sacris Ordinibus initiandorum conventum, seu ad sanctiorem disciplinam ibidem ab illis servatam, seu quoad Magistros divinarum rerum, quarum edocenda juventus illa peritissimos. Itaque iter quod dudum hisce versiculis descripsi

Quotidie

Quotidie dum pergo viam quæ ducit ad Ædem
 Eustachio sacram, haud Villæ dulcedine captus,
 Delicias Domino sit quamvis apta parare
 Illa suo, ast avidus surgentem visere molem
 Formandis Cleri struxi quam moribus, illud
 Lento, inquam, pede iter peragens legi, atque relegi
 Galli Scriptoris Carmen, quo plena periculis
 Nostri hujusce ævi Spectacula scenica monstrat.
 iter, inquam, illud multo hilarius nunc repeto, nempe avidus
 Crescentem segetem morati visere Cleri.

NOTÆ.

- (a) Tyrocinium ingressus Beda anno 1702. die 20. Septemb. solemnem Professionem edere debuerat anno 1703. exeunte Septembri: verum non poterat, cum Mars Austriacus universam inundans Bavariam Abbatem Virgilium & omnes monachos è monasterio in diversa exilia ejecisset. Tandem anni sequentis die 6. Januarii faventior stella fulsit, & in festo Epiphaniæ Beda Deo solemnia vota nuncupavit. Nos tempus emittendæ & jus, non emissæ attendimus.
- (b) Fundatum enim fuit juxta plerosque authores & vetera documenta anno post Christum natum 753. Authores in Historia Westotontana Cap. I. §. II. copiose allegati.
- (c) Quod modestissimus Card. Quirinus exemplo Serenissimi Josephi Darmstadii, Episcopi nostri Augustani se fecisse inferius in hac Epistola Num. XV. fatetur. Et sanè Pfaffenhusanum Seminarium moratissimos jam Clericos, imò & utilissimos, protulit, & prolaturum meritò speratur, velut ex equo Trojano, *delectos Heroes, & insuperabile robur* ad universæ Ecclesiæ munimentum.
- (d) Hujus Collegii Ecclesiastici orthographiam exhibet numisma à Reverendissimo D. Felice Mario Nerinio Congregationis Monachorum S. Hieronymi de Italia Abbate Generali in Epistola II. ad Em. Card. Quirinum hac inscriptione:

Pro
 dignoscenda
 vocatione
 Ordinandorum
 Brixie erectum
 a fundamentis

C 3

Colle.

Collegium
plaudente
Clero & populo
universo
Anno Jubilai
MDCCL.

- (e) Imò & exequor, potuit dicere Eminentissimus Protector. Et plane copiosissimè executus est, sicut testatur lampas argentea, quàm Brixiae fabricatam ad fontes Wessonis, & Aram ibidem Immaculatæ Matris, transmissit. Ad P. Veremundum idem hæc scripsit: *Gratissimus enim vero ac jucundissimus accidit honor, quem mihi tributum video, dum in Protectorem electus sum Confraternitatis, cui Paternitas Vestra dignissime præsidet.* Et post aliqua benevolentia plena inquit: *Spòndeo igitur, cordi mihi maximè fore omnem memoratæ Confraternitatis profectum, anxieque attenturum ad quamvis occasionem, ejusdem commoda promovendi.* Experti sumus hujus promissi fidem abeunde impletam.
- (f) Nempe annum quintum supra septuagesimum numeranti.
- (g) De hac insigni & speciosa Statua videri meretur Reverendiss. Nerinii Appendix ad tres epistolas suas Eminentissimo QUIRINO inscriptas, fol. LXIX. ubi primo loco litteras D. Bedæ Abbatis nostri ad Eundem Purpuratum nostrum scriptas recitat. In iis stupendum miraculum narratur, de incendio villæ Wessofontanæ in ipso Divi Benedicti festo, quo sacra ejus statua primùm in templo nostro exposita videbatur, durante Divino Officio, mirabiliter extincto, cujus beneficii authorem omnes sanctissimum Patriarcham nostrum collaudabant.
- (b) De hac lampade in Historia Wessofontana fol. 494. num. 20. sic scriptus: *Ad hanc denique, Aram Immaculatæ Matris, Purpuratus Ecclesiæ Princeps, Cardinalis Angelus Maria Quirinus, Sodalitatis Protector zelosissimus, votum, quod hic sacrificans fecerat, exsoluturus, lampadem ex argento splendidissimam suspendit.*
- (i) Multæ nempe loco, ut supra dignatus est dicere. Ast ego dico:
Injungis tibi met multam, generose QUIRINE:
Nursiadæ Patris est multa statuta Soror,
O! non hæc multa est, sed pignus grande coronæ,
Quam tibi de merito Virginis astra dabunt.
- (k) Litteræ cum Statua SS. P. Benedicti allatæ typo mandatæ sunt in Historia Wessofontana fol. 500. & à Reverendissimo Abbate Nerinio in Appendice trium ad Eminentissimum Card. Quirinum Epistolarum.
- (l) Negat vastam hanc solitudinem Reverendiss. D. Erasmus Gattula Abbas

- bas S. Matthæi & Cassinensis Archivi Custos adductis in testimonium duobus Emin. Card. Baronii locis ad annos 664. & 716 Hist. Abb. Cassin edita Venetiis anno 1733. fol. 11. colum. 1. & 2.
- (m) Imò Baronium pro Cassinatium possessione stetit, patet ex allegatis duobus ejusdem locis notâ præcedente. Accedit Paulus Diaconus Cassinensis, qui circa annum 778. ætate jam grandævus monachus evasit, ostendente Mabillonio, & de monasterii sui instauratione sic scripsit: Petronax civis Brixianæ urbis divino amore compunctus Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ Casinum castrum petiit, atque ad sacrum CORPUS B. Patris BENEDICTI perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris jam ante residentibus habitare cœpit &c. Eadem Hist. Abbatia Cassin. fol. 18. §. III.
- (n) *Ex rumore per Gallias sparso*, qui sub Imperatoribus Francis etiam in Germaniam nostram transit, ubi Translatio S. Benedicti Calendario inscripta invenitur: verùm illa ex sententia SS. D. N. Benedicti XIV. Pont. Max. meliùs de particula aliqua sacri Corporis intelligetur. Vide inferiùs Num. XIV.
- (o) Apologista hic superiùs Num. VI. nominatur Petrus Maria Justinianus Monachus Casinas, deinde Episcopus primùm Sagonensis, postea Albinimiliensis, cujus Apologia anno 1745. in lucem prodiit. Jam ante hunc plures alii heroes Cassinates certaverant hac ipsa de causa, uti Angelus de Nuce Abbas primùm Cassinensis, postea Archiepiscopus Rossanensis; Erasmus Gattula, sui, causæque securus historice loquitur, sola Casinatium firmamenta proponens, & in his conquiescens.
- (p) SS. P. N. Benedictus XIV. Pont. Max. dedicandum sibi hoc opus clementissimo Brevi Apostolico excepit, quod Concordantiis novis præfixum post Dedicationem legi potest. Alterum itidem clementissimum Breve, quod misso sibi perlustratòque opere, gratiis & amore paterno plenum remisit, Historiæ Monasterii Wessofontani inseruimus beneficii memores folio 508.
- (q) Imò Tu nostram, EMINENTISSIME PATER. Namque
 Exigui Fontes pelagus satiare valerent?
 Næ Pelago nobis Ipse futurus eras.
 Larga, PATER, parvis Wessonis flumina rivis
 Attuleras: magnum hinc Oceanum bibimus.
- (r) Toto etiam itinere Landspergâ ad fontes Wessonis suscepto, non alia dere, quàm laudatissimi Episcopi nostri suscepta Clericalis Seminarii erectione frequentior sermo fuit Eminentissimo Cardinali, quod Venerab. Beda, Abbas meus, me quoque comite, semper testabitur.
- (s) Vidisses verò, si venire licuisset, EMINENTISSIME PRINCEPS, ini-
 tio

tio statim Millenarii nostri Legatum Serenissimi S. R. J. Electoris & Ba-
 variae Ducis, Virum Illustrissimum de sanguine Tœringano, aliosque sex
 ejusdem Stirpis Heroës, summis Togatæ, Sagatæque Palladis muneribus
 excellentes, quorum antiquissima Profapia nunquam sinet emori Funda-
 tionis nostræ memoriam, cum sola jam, extincto Wessonis stemmate, Ta-
 ringeri posteritas testimonium illius perhibere possit. Illustrissimæ
 hujus Familiæ munificentia attulit in perpetuam rei memoriam cra-
 terem prægrandem ex argento, spisseque deauratum, Monasterioque
 donavit, in quo faberrimè Thassilonis venatio, præsentibus Tarin-
 gero & Wessone instituta, inventique cœlesti augurio Fontes ex-
 hibentur. Vidisses etiam, PURPURATE EMINENTISSIME, singu-
 lis totius hebdomadæ diebus divina Officia à mitratis Præsulibus cele-
 brari: quotidie ad confertum populum conciones ab optimis Orato-
 ribus elaboratas haberi: diebus singulis numerosissimas plebes publi-
 ca supplicatione properare ad Fontes nostros, ut Indulgentiæ plena-
 riæ à SS. D. N. Benedicto XIV. pro toto octiduo liberalissimè con-
 cessæ participes fierent. Neque ex villis tantum aut vicis, sed &
 civitatibus ac municipiis fiebat concursio, quas longum esset hoc lo-
 co numerare, Recreasset certè Eminentiam suam eorum numerus,
 quorum hac unica septimana quindecim millia piaculari confessione
 mundati ad Eucharisticum epulum accesserunt. Soli Deo Gloria!

(t) Memores monemur, EMINENTISSIME PATER. Verum quot Mu-
 sæ sufficient ad summum Apollinem pro dignitate laudandum, qui
 viginti jam annis Parnassum Brixia à se excitatum in altius semper
 culmen educit! Moliemur aliquid? *Ut desint vires, tamen est laudan-
 da voluntas.*

(u) Imo vel maxime. Nam

Structas formandis Cleri pro moribus ædes

Qui videt, & summo condita templa Deo:

Stipandis libris erecta ingentia tecta

Qui videt, & misero limina tuta gregi:

Et si ILLUM haud videat, cujus stant PRÆSULIS ære,

Ille tamen plus, quam Præsulis ora videt.



